

Ad Senecam de matrimonio.

1. In anonymi Christiani libello nuptiali, cuius de fontibus egit qui edidit in dissertatione Lipsiensi, quae inscribitur 'Aristoteles Theophrastus Seneca de matrimonio ser. F. Bock' (stud. Lips. XIX 1898), legitur p. 55, 16 squ.: *Demotionis Areopagitarum principis virgo filia auditio sponsi Leosthenis interitu (qui bellum Lamiacum concitarat) se interfecit, asserens, quamquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum accipere, cum priore mente nupsisset.* Quid acuminis insit in hoc dicto, non video. Scribendum est: *si alterum accipere cogeretur, quasi a(du)lterum accipere.* Corruptum *a(du)lterum*, ut aliquid saltem fieri videretur, mutavit nescio quis in *secundum*. Ceterum quod non male lusit Seneca, id puto graece (apud Aristotelem, secundum Bockium p. 39) ita fere se habuisse, simili lusu: εἰ ἔτερον λαβεῖν ἀναγκάζοιτο, λαβεῖν δὲ ὡς ἔταιρον. Invenitur enim ἔταιρος pro amatore, veluti in puellae prurientis cantilena apud Aristoph. Eccl. 913: οὐχ ἥκει μούτασρος. Ipse autem dictionis lusus, si quidem iure ad Aristotelem refertur, non nihil valet ad quaestionem illam, quae est de pronuntiatione diphthongi *AI*; cf. Blassii ausspr. d. griech.³ 62 squ.

2. ibidem p. 65, 12 squ. vix recte editur: *Cn. Pompeio Muciam uxorem impudicam, quam Pontici spadones et Mithridaticae amiebant catervae, et quae sequuntur. Pontici videntur Mithridatem secum duxisse. Sed quid verum sit, non satis video. Possis mitratae collatis, quae Buechelerus adscripsit ad Herodae mimiamb. 1, 74. Tamen nescio an Metriacae quoque habeat unde commendetur.*

3. ibidem p. 68, 24: *Nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti ad eludendas leges, quae contra caelibes latiae sunt, pars magna conducitur? Quomodo potest regere mores et praecipere castitatem et mariti auctoritatem tenere, cui . . . nupsit?* Ita editor, suspicans fuisse cui *(impudica inopi)* nupsit. Wachsmuthius volebat cui *nupsit* (*ditior*). In Hieronymi vulgata fertur *qui nupsit*. Quod verissimum esse testatur e. g. Martialis poeta 8, 12: *Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quaeritis? Uxori nubere nolo meae.*